

Gemit victus, torquet rictus, sibilatque talia  
 Reducatur sceleratus ad ruinas arboris,  
 Et radices ejus tingat unda santis sanguinis;  
 Sentiat quid possit ira temerati iudicis,  
 In contrarium sumpturus omen sui nominis.  
 Decollati corpus aves devorent et bestiae,  
 Nec sit dignus sepultura deos nolens colere.  
 Ducebatur ergo sanctus feriendus gladio,  
 Concurrente, sicut solet, curioso populo.  
 Ecce quidam Christianus venit illis obviam,  
 Videt turbam, videt vinctum, quaerit verbi gratiam;  
 Refert unus quod quaerebat de gentili populo,  
 Putans illum delectandum sanguinis spectaculo.  
 Iste superstitionis Christianae presbyter  
 Deos spernens et praefectum, Caesaresque pariter,  
 Ducitur ut capitalem subeat sententiam  
 Ante templum quod subvertit flamma per artem ma-  
 [gicam.]

Veni visum, pascas mentem scelerato sanguine  
 Ni si (100) mucronis icum poterit eludere.  
 Exclamavit, his auditis, Christianus fortiter:  
 Ego quoque Christum colo sicut ille presbyter,  
 Deos vestros non plus colo, quam immunda pecora,  
 Nec observo nefandorum principum imperia.  
 Hujus culpae consors flamma, consors et supplicii,  
 Nec disjungat cruciatus causa junctos simili.  
 Inter haec et ipse raptus a ministris impiis

(100) F. deest *dirum*, vel simile quid.

A Cum Felice traheretur ad radices arboris,  
 Ubi cum stetit ambo jam districtis gladiis  
 Petierant dari sibi moram parvi temporis.  
 Tunc ad caelum cor levantes fixis humi genibus.  
 Pro suis interpellebant Christum percussioneibus.  
 Mox surgentes armaverunt se crucis signaculo,  
 Et dedere sibi pacem charitatis osculo.  
 Sic uterque percussiori praeparavit jugulum,  
 Et capitibus truncatis sunt adepti bravium,  
 Quorum corpora relicta bestiis et avibus  
 A fidelibus humata nocte sunt in scrobibus  
 Quas avulsa magnae stirpes arboris effoderant,  
 Et sepulcra Dei nutu sanctis aperuerant.  
 Quod cum mane didicissent aliqui gentilium  
 1546 Tentavere demoliri sepulturas martyrum.  
 Quotquot autem praesumpserunt manus illic mittere  
 B Violento sunt arrepti protinus a demone.  
 Sic primo, tempore cum pax esset Christianis reddita  
 Super corpora sanctorum est facta basilica  
 Ex lapidibus delubri quod destructum fuerat,  
 Ut impleret illud Deus sicut disposuerat.  
 Hic duorum celebratur martyrum memoria  
 Qui potentibus acquirunt multa beneficia.  
 Primus est vocatus Felix; alter caret nomine.  
 Sed dixerunt hunc Adauctum postea Christicola,  
 Ex eventu posuere nomen illi congruum,  
 Quia se sancto Felici junxit ad martyrium.

*Explicit Passio.*

## ORATIO.

Sancte Felix et Audacte pretiosi martyres,  
 Qui per fidem superastis saevos mundi principes,  
 Impetrate mihi vestro peccatorum veniam.  
 Qui soletis sitiendi terrae dare pluviam.  
 Vidi his cum siccitate morerentur segetes,  
 Arva funderentur siti, desperarent homines  
 Postquam vestra sacrosancta sunt prolata pignora,  
 Statim venit de supernis exoptata pluvia.  
 Rursum vidi cum natarent arva magnis imbribus,  
 Premerentur curvae messes noxiis gremiibus,

C Postquam vestras sacrosanctas prompserunt reli-  
 [quias,  
 Statim fulsit impetrata caelitus serenitas.  
 Vos habetis potestatem caeli portas claudere,  
 Rureus inde quando vultis largos imbres fundere.  
 Irrigate, quaeso, meam sitiensis animam,  
 Non per imbrem, sed per illam, quae me mundat,  
 [gratiam.  
 Vobis meus deservivit qualiscunque calamus,  
 Per vos mundi conservator mihi sit propitius.  
 Amen

INCIPIT

## VITA BEATI MAURILII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

### LIBER PRIMUS.

Quod de Maurilio tentat dicere Clio,  
 Est an. or in causa, majoraque viribus ausa;  
 Sperat opem sancti, quem scit placuisse Tonanti.

D Sit venia dignum, qua, quem valet, explicat  
 [hymnum,  
 Dum putat esse bonum versu celebrare patronum,



Ossa legit cujus sedis locus inclytus hujus,  
 Anais ter denis justis quam rexit habenis.  
 Præsul magnificus, summæ Deitatis amicus.  
 Hic Mediolano regnante status Juliano,  
 Claræ stirps gentis, sed clarior indole mentis,  
 Est, Martine, datus tibi causa discipulus,  
 Inque libris sacris fuit ingenii puer acris.  
 Ætas in cella residens, radiis atque tenella,  
 Sub ferula tali doctrina jam speciali,  
 Est imbuta bonis divinæ traditionis ;  
**1547** Nec mundanarum sordes bibit ille cebrarum,  
 Sed quasi vas purum, quasi vas in honore futurum,  
 Incoct itestæ succum virtutis honestæ.  
 Sed pro catholica Martinum pars inimica  
 Errantis turbæ jam dicta pulsat ab urbe,  
 Quem ratione pari puer ille volens comitari  
 Interdicentum retinetur amore parentum.  
 Ambrosius morum præsul documenta bonorum  
 Carnens in puero, jubet hunc accedere clero,  
 Et fore lectorem, spondetque gradum potiozem.  
 Sed non post multo pueri genitore sepulto,  
 Obstiterat cujus violentia nisibus hujus,  
 Ne prius arriperet quod volvere corde soleret,  
 Jam liber factus, jam congrua tempora nactus  
 Exii ab æde patris, nec cogitat oscula matris.  
 Spernit opes mundi, studio præventus eundi.  
 Gaudet habere parum, qui tædet divitiarum.  
 Indigus esse cupit, quia noxia vincula rupit.  
 Christum mente gerit, præter quem nil sibi querit.  
 Dumque locum mutat, nullum de gente salutat.  
 Respuit affectus carnales nobile pectus.  
 Martinumque sequi rem ponderis æstimat æqui,  
 Ob celebrem vitam factum metropolitam.  
 Per juga, perque nives properat constantia dives  
 Egregiæ mentis, ceasuque ciboque carentis.  
 Alpes transgreditur, regio Turonensis aditur.  
 Gaudet Martinus, cui notus erat peregrinus,  
 Per similes actus dudum sibi convena factus ;  
 Nam paritas morum connectit corda duorum  
 Disparibus vitis oritur dissensio litis ;  
 Conciliat justos vitæ sapientia custos,  
 Conveniuntque mali sibi fœdere perniciali.  
 Ergo Deo gratus tecum, Martine, moratus,  
 Stans in mandatis et servitio pietatis,  
 Temporis accessu virtutum perpete gressu  
 Ardua conscendit, dum semper ad ultima tendit.  
 Proficit absque mora, qui tendit ad interiora,  
 Sic commendatus, vitæque tenore probatus.  
 Tempore legitimo gradibus subvectus ab imo,  
 Qui puer ordinibus profecerat ante duobus  
 Nunc a Martino promotus in ordine quino,  
 Munere septeno, crescente charismate pleno,  
 Presbyter est factus, renuens tamen, atque coactus.  
 Ergo sacerdotis jam præditus ordine, totis  
 Viribus ad summum properat pertingere nummum,  
 Ob nummi quæstum portans et pondus et æstum,  
 Ac vineta Dei fodiens a mane diei.  
 Nec satis ista putat, sed te, Martine, salutat,  
 Et gemitus edit, dum flens a flente recedit ;

**A** Sed cupit abscondi fugiens a turbine mundi,  
 Contemplative captus dulcedine vitæ.  
 Nam labor est multus mundanos ferre tumulus,  
 Quos penitus nescit qui contemplando quiescit.  
 Ergo vicinos descendit ad Andegavinos,  
 Ut foret his præsul factus divinitus exaul,  
 Stabat Calonne simulacrorum genus omne ;  
 Ad Ligerim positus locus est hoc nomine dictus,  
 In veteri fano celebratus more profano.  
 Hic populus stultus, veri gens nescia cultus,  
 Bordin et mutis cum perditione salutis  
 Impia thura dabat, pecudumque cruore litabat.  
 Sanctus Maurilius, regionis apostolus hujus,  
 Ut didicit fanum, ritumque manere profanum  
 Ne fidei cultum, quem jam gaudebat adultum,  
**B** Sic ubi restaret, vetus impietas vitaret,  
 Illuc accessit ; mox arma sueta capessit,  
 Prædicat insanis, ut nolent credere vanis,  
 Jejunat, plorat, vigilat, prosternitur, orat.  
 Mox precibus dignis divinus militat ignis,  
 Arce ruens cæli vice grandinis, aut vice telli,  
 Quod volat emissum, revolatque peræra fissum.  
 Protinus exustum recubat penetrans velustum.  
**1548** Ultrix flamma vorat quidquid gentilis adorat.  
 Numine Vulcani miscentur numina fani.  
 Per cumulos cineris conflatio volvitur æris.  
 Jupiter et Juno rivo versantur in uno.  
 Phoebus cum luna per terram volvitur una,  
 Curque suo mœcho Venus igne resolvitur æquo.  
 Furta tori punit, dum fures Mulciber unit.  
 Cætera falsorum simulacra nefanda deorum  
**C** Consimilem cladem sub sorte merentur eadem.  
 Ergo locum purgat, ne fraus extincta resurgat  
 Et laticeos sacros mundandos spargit in agros,  
 Ecclesiamque Dei non spernendæ speciei  
 Mox ibi fundatam, seseque rogante sacratam.  
 Incola bis senos fertur tenuisse per annos.  
 Quæ bona gessit ibi non possunt omnia scribi.  
 Mira tamen quædam signis de pluribus edam.  
 Cuidam Saturno, qui tempore jam diuturno  
 Siccus utrasque manus vivebat, cætera sanus,  
 Vox ait in somnis : Manum succurrere damnis,  
 Quas vacue gestas datur ea tibi plena potestas.  
 Sanguinis Italici vir sanctus, et incola vici  
 Dicti Calonne, tibi quod genus auferet omne,  
 Signabitque manus, et fles illico sanus.  
**D** Nunc iter accelera, removens molimina sera.  
 Surgit homo propere, cupiens promissa tenere,  
 Et venit ad sanctum ; nec verba precantia tantum,  
 Sed lacrymas fundit, nec marcidæ membra recedit,  
 Dictaque commemorat sibi cælius, i neuper orat.  
 Sicut erat signum, crucis imprimat ut sibi signum.  
 Qui non ut dubitans, sed ut omni tempore vitans  
 Ad meriti fraudem mundanam sumere laudem  
 Quod de præsentis poterat conferre petenti,  
 Dum sibi nil defert, in crastina tempora differt,  
 Effectu celeri nolens dare posse videri.  
 Nocte vigil tota non cessat fundere vota,  
 Mane manus tangit, sic eflugat omne quod angit,



Tangit mane manus, ægerque fit illico sanus.  
Cum meritis sancti fundentis vota Tonanti,  
Christi vexillo langor discessit ab illo.

Est aliud signum celebrari carmine dignum,  
Pluraque post illud, quæ mira ferentur ut istud:  
Dæmonis in prædam sæxi data femina quædam  
Vivens in pœnis geminis onera catenis,  
Atque sub hac massa geminoquoque lumine cassa  
Ducitur ad sanctum manibus pertracta rogantum,  
Ut miseram purget quam dæmonis impetus urget,  
Quam simul aspexit mox dæmon territus exit,  
Tunc oculos cæcæ tangens consignat, et ecce  
In virtute crucis sunt reddita munera lucis  
Clausis palpebris, pupillarumque tenebris.  
Bic duo persona miracula gessit in una,  
Dum fugat invisum redditque precamine visum  
Dum custos pecoris nocturnis pervigil horis  
Cum sociis agitur serpentis ore feritur,  
Cui coluber dirus fudit cum vulnere virus;  
Utris at in morem traxit cutis ægra tumorem,  
Et pus infusum detraxit corporis usum.  
Seminecem puerum devota fides sociorum  
Sancto præsentat quem jam plebs ægra frequentat,  
Qui pueri crebra munuit cruce singula membra,  
Qua pestis plenas corruperat improba venas,  
Et cruce cum sputo pariter medicante soluto  
Vulneris os lenit, mox pestis iniqua quievit  
Nam, mirum dictu! virus pungentis in actu  
Venis inclusum vulnus pelit, estque refusum.  
Pastor abit lætus mutans in gaudia fletus  
Venter matronæ vicina de regione  
Dulum conclusus fallebat germinia usus  
Tristes, in sterili cogens dormire cubili;  
Dives uterque satis, nec parvæ nobilitatis  
Conjux, sed quæ resumet hunc cui deficit hæres,  
**1549** Hæc circa cultum Deitalis sedula multum  
Ut Domini placito fieret fecunda marito  
Institerat frustra precibus per plurima lustra  
Ergo sacerdotis pulsat pia viscera votis,  
Et famulum Christi compellat pectore tristi  
Quid mihi, serve Dei, confert lux orta diei?  
Quid noctis cursus, cum torqueat anxia rursus?  
Quinam mane toro surgens operosa laboro?  
Quid domus et servi? quid copia fertilis arvi?  
Quid valet argenti species hærede carenti?  
Tu qui quanta petis precibus, vir sancte, sueti  
Impetrare soles, fac sit mihi mascula proles  
Nata Creatori, data mox reddenda datori.  
Tu mihi sis Heli, sit natus per Samueli,  
Dum puer altari mox incipiet famulari.  
Motus Maurilius votis ac fletibus hujus  
Orat et exorat: mulier gravidata laborat,  
Et puerum fundit, fusum tibi, Christe, refundit  
Ex matris voto mansurum tempore toto.  
Hunc ita donatum fert fama fuisse Renatum,  
Qui post præfatum possedit pontificatum,  
De quo mira ferunt hi qui nos ante luerunt,  
Quæ referenda puto, nec vera fuisse refuto,  
Sed cum tempus erit. Prior ordo sequentia queriti

**A** Colli Prisciaco locus est a tempore prisco,  
Sic appellatus fuerat data causa reatus  
Idola plena malis cultura dæmonialis  
Incultæ gentis nonnullos decipientis.  
Hanc Domini miles quæstus dum captat heriles  
Ad Christi laudem cupiens evertere fraudem,  
Assumptis secum quot ducere iudicat æquum  
Ad collem properat quam pars inimica repleat  
Mox inclusorum vox obvia dæmoniorum  
Obstrepat et queritur nullus ne locus reperitor  
Quo te, Maurili, possimus pendere vili,  
Quo deffendatur, dum te venientia fugamur,  
Hinc quoque nos pellis, atrox, violente, rebellis.  
Ille crucem contra jaculatur vindice dextra,  
Protinus explosum fugit omnesuperstitiosum  
**B** Et dum pulsa fugit larvalis tuba remugit:  
Fetor testatur quod fetida turba fugatur.  
Sanctus adunari iubet idola, sicque cremari.  
Inde locum mundat; nova protinus atria fundat,  
Ecclesiamque Dei signum iubet esse tropæi.  
Corpus Clementis quartana luce tremantis  
Frigoribus crebris quatit inclementia febris,  
Sicque dies quartus cruciatus atterit artus,  
Ut reparare tribus nequeat sua damna diebus.  
Langor enim stomachi Cererem vel munera Bacchi  
Respuit et prorsus sunt illi tædia morsus.  
His monachus damnis vastatus jam tribus annis  
Volvitur in lecto, nequiens procedere lecto,  
Membris exulis jam spes ablata salutis,  
Solaque vicinis erat expectatio finis.  
Cum memores medici monachi languentis amici  
**C** Ejus ad aspectum portant cum corpore lectum  
Vel male victuro, vel forte brevi morituro.  
Qui citius dicto morbo vel funere victo  
Differt exsequias dum confert eulogias  
Roddens quarianum divino munere sanum.  
Institor ob quæstum postponens quidquid honestum,  
De re sorte pari cupiens quacunque lucrari,  
Creseus usuris et vendens omnia pluris  
Captivos pueros mercatus adibat lberos,  
De numero quorum rudis impatiensque laboræ  
Unus agendo pedem sacram confugit in ædem  
Qua vir mensuetus fundebat cum prece fletus,  
Fisus honore viri se vel non posse requiri,  
Vel dimittendum prece, vel pretio redimendum;  
**D** Namque sacerdotis terris laus nota remotis  
Et domino pueri poterat pretiosa videri.  
**1550** Ergo rogat plorans, et eum prostratus adorans,  
Ut quocunque modo velit hoc se solvere nodo.  
Sanctus ad hæc plangit, quia quem labor anxius  
Per linguam notam probat esse suum patriotam,  
Offert argentum cupiens laxare redemptum.  
Supplicat implorat, multumque diuque laborat  
Vir domino charus; renuit mercator avarus,  
Denique captivum cædi iubet ut fugitivum.  
Mandatoque truci violans sacrarum, duci.



Indoluit sanctus, zelusque fuit sibi tantus  
 Quod gravis exempli nimis est violatio templi  
 Ut fervor zeli peteret sublimia cœli.  
 Nam simul ac mentem convertit ad Omnipotentem,  
 Et terræ stratus gemitum dedit, estque precatus,  
 Iræ cœlestis mors irruit impia testis,  
 Et violatoris manifesta furoris ;  
 Sicque repentina cecidit miser ille ruina.  
 Cætera turba tremens sanctum rogat ut sibi cle-

[mens

Parcat et exanimem vitæ det visere limen  
 Bis condemnatum per mortem, perque reatum.  
 Ille timens animæ, ne mersa foret sine fine,  
 Tendit humo flexus mortis prece solvere nexu.  
 Rem miram refert, sed quæ sit consona vero,  
 Imperium mortis superans oratio fortis  
 Per Domini nutum revocat jam carne solutum ;  
 Sanctus humo surgit, corpus de morte resurgit ;  
 Liber captivus gaudet simul et redivivus,  
 Munera dant læti pro templi crimine spreti.

Dum labor ingentem sed pondus enorme gerentem  
 Nauticus Andegavim certat propellere navim,  
 Qui labor in Ligeri solet irrequietus haberi,  
 Horrida tempestas causas movet ecce molestas,  
 Aer nigrescit, sensim gravis unda tumescit ;  
 Incumbit ventus, trepidat per transtra juvenus,  
 Nec retinet ventum velo vis juncta rudentum,  
 Malus et antennæ confracta feruntur ab amne.  
 Jam manus aplustri nequit imperitare magistri,  
 Jam ductu plenam prope sorbuit unda carinam  
 Turbo ratem volvit, pavor omnia corda resolvit.  
 Maurilium tantum clamat vox mœsta natantum,  
 Moxque Deo gratus festinat adesse vocatus.  
 Signat eos dextra, stans ripam fluminis extra,  
 Cessat tempestas, crucis est manifesta potestas ;  
 Imperio fidei redit hora serena diei,  
 Emergit navis, flat protinus aura suavis ;  
 Et vehit ad portum, de limine mortis, ad ortum,  
 Quos quasi defunctos poterat modo plangere cun-

[ctos.

Mos erat huic sancto, cujus præconia canto,  
 Per villas et agros invisere quoslibet ægros,  
 Sive per ecclesias recitare sacras homelias,  
 Ac Domino cœli verbo servire fideli.  
 Ne minus hoc ageret, fessusque labore sileret,  
 Utpote districtus modici libamine victus  
 Obsequio sellæ pullum pasebat asellæ,

A Nescius auratis compescere dura lupatis,  
 Ora superborum sensor sublimis equorum  
 Terge reluctantis spernebat quadrupedantis,  
 Mailens in pullo fastu procedere nullo,  
 Scilicet a Christo facto prædoctus in isto.  
 Quem fur invisus noctu subducere nisus  
 Dæmone correptus nescit quo tendat ineptus.  
 Nam celebrando redit dum se procedere credit,  
 Et, dictu mirum ! nequit hunc evolvere gyrum.  
 Mane stat ante fores post tractos nocte labores,  
 Ante sacrum limen compulsus prodere crimen  
 Furtum præsentat, demensque recedere tentat,  
 Dum ne curetur trepidat qui clausus habetur.  
 Cui licet indigno pulso prius hoste maligno  
 1551 Crimen condonat, tria deinde numismata

[donat,

B Credit ad hoc factum quia paupertate coactum.  
 Quæ pietas sancti bona præstat iniqua patranti  
 Fenore multiplici scelus accumulans inimici ;  
 Fur reddens asinum recipit pro simplice trium  
 Auro ditatus, sospes, liberque reatus,  
 Amelinam quamdam nulla ratione juvandam  
 Dicebant medici, contristabantur amici,  
 Deque sepultura jam creverat anxia cura.  
 Illa superborum serie sublimis avorum,  
 Dives opum, compos proprii, sed corpora impos,  
 Sic jam bisenos erat infirmata per annos,  
 Ut quo plus fieret, sibi plus medicina noceret.  
 Mœsta domus flebat, quia desperata jacebat  
 Cum redit ad mentem non defore mira gerentem,  
 Et prece fisa viri se posse salute potiri.

C Ars medicina, inquit, sine spe me vestra relinquit,  
 Sed nunc vel sero, meliora juvamina quæro :  
 Ite, suis dixit, quia spes extincta revixit ;  
 Currite, quæso, citi, patrono dicite miti  
 Ut pius afflictam nulloque juvante relictam  
 Visere dignetur, quia sæpe videndo medetur.  
 Qui quoscunque solet, nunquid me visere nolet ?  
 Ne lenius fiam per inanem macrologiam.  
 Curritur, ascitur, cito cum veniente reditur ;  
 Orat humi stratus, surgit non multa precatus,  
 Ad lectum properat, melius jam languida sperat.  
 Ungit eam medicus, fugit illico languor iniquus.  
 Unguine sacro surgit semel uncta grabato.  
 D Hactenus ante datum quæ gessit pontificatum  
 Maurilius scripsi, quod gratum sit, precor, ipsi.  
 Cætera scriptori servanda forent meliori

## LIBER SECUNDUS.

Maurilio sancto pingui dum carmine canto,  
 Laudes illustris recitat quasi canna palustris.  
 Sed quoniam pius est, et ei me psallere jus est,  
 Scilicet a puero proprio, quem jungere olero  
 Dignatus pavit, juvenemque docendo levavit,

PATROL. CLXXI.

Obsequium linguæ saltem tibi defero pingue,  
 Penset ut affectum vice muneris æstimo tectum,  
 Si possem melius tæderet muneris hujus.  
 Dum signis crebris radiaret ubique celebris  
 Laus confessoris, nullo virtute minoris.

52



Nutu divino populo fuit Andegavino  
 Præsul substractus, decedere morte coactus,  
 Conveniunt turbæ, vidua sicut fit in urbe.  
 Ordo sacratus, populares, atque senatus  
 Tractant quærendo de præsule substituendo,  
 In numero cleri quis possit dignus haberi.  
 Hic favet ætati, favet alter nobilitati;  
 Iste clientelam commendat, at ille loquelam;  
 Divitias aliquis verbis extollit iniquis,  
 Mores postremo, vel spiritualia nemo.  
 Sic cum multorum collisio fit studiorum,  
 Voto communi laus non conceditur uni.  
 Sed sanctus tandem causam properans ad eandem,  
 Decidit lites Martinus metropolitæ.  
 Hic dum turba fremit, partes sic fando diremit:  
 Quid votis stultis rem fixam vertere vultis,  
 Fratres dilecti? nequeunt cœlestia flecti.  
 Laudes humanæ Deus abiecit, utpote vanas.  
 Rex qui cuncta regit, jam pontificem sibi legit.  
 Sedis Maurilius statuitur episcopus hujus.  
 Cœli deoretum compescuit illico cœtum.  
 Verbum censoris sequitur vox una favoris.  
 Nec mora; legati properant ad tecta beati,  
 Præsentant raptum sacris altaribus aptum,  
 Cujus in introitu molli delapsa volatu

1552 Signa columba dedit super hunc quæ can-  
 dida sedit.

Rursus ad hoc signum plebs concinit ordine di-  
 gnum,

Indicio tanto lustratum Flamine sancto.  
 Fecit idem quondam placidi Jordanis ad undam  
 Tempore Baptistæ summus Pater et tibi, Christe,  
 Quod tibi rex cœli, proprio facis ipse fideli.  
 Sic consecratus de culmine pontificatus  
 Plus humilis mansit, dum semper ad optima transit;  
 Inde quot ostentis illum favor Omnipotentis  
 Extulit et quantis nequit edere vox recitantis.  
 Nam cæcis visum, claudis prece reddere nisum  
 Sermonem mutis, nervos paralyse solutis,  
 Auribus ablatum, vocis rescrare meatum,  
 Emundando cutem lepræ conferre salutem.  
 Tam fuit huic pronum quam præsens tradere do-  
 num

Ipsius meritis spoliato carcere ditis  
 Mortua præteritæ sunt corpora reddita vitæ.  
 Pauca tamen referam, cum tædiâ pellere quæram.

Mane Petri sancti de basilica redeunti,  
 Qua vigil insomnem noctem deduxerat omnem,  
 Cæcus sic natus fuit obvisus, estque precatus  
 Lucis ut obtusum captis daret orbibus usum.  
 Nescius ille moræ, sparsus tamen ora rubore,  
 Utpote vulgari qui nollet voce probari,  
 Mox ut eum signat, crux lumina clausa resignat,  
 Sol novus illuxit, quia nox cum sanguine fluxit.

Rem sacramenti dum tractat luce sequenti  
 Astans altari mos est ubi sacrificari,  
 Ecce metu mortis lacrymis, stans mater, obortis  
 Orat pro nato subito languore gravato  
 Ut sibi post fontem consignet chrismate frontem,

A Hæc soboli pressæ ne gratia possit abesse,  
 Ille studens armæ dum vult sacra continuare,  
 Dumque moras neclit, puerum xors improba ple-  
 cit.

Sacris expletis succedunt tristia lætis,  
 Nam casum pueri qui posset non ita fieri?  
 Plus gemit ac moeret, quam quæ sua pignora  
 floret.

Nec culpam talem sibi credere vult venialem,  
 Cum studio missæ queat excusata fuisse.  
 Anxius hæc inter decernit abire latenter  
 Exsul ut hoc facinus magis expiet et peregrinus.  
 Solus ad Oceanum properat littueque Britannum  
 Claves sanctarum deportans reliquiarum,  
 Operiens ergo ventos quibus Anglus aditur  
 Saxo mensuris insculpsit pauca figuris,

B Quis foret et quorsum properaret tendere cursum  
 Providus hunc lapidi titulum voluit Deus indi  
 Quo plus clareret profugus, qua gente lateret.  
 Jamque ratem scandit, jam ventus carbasa pandit,  
 Jam maris alta secat, jam terras cursus adæquat,  
 Cum fraus antiqui nunquam cessantis iniqui  
 Addit onus lacrymis per damna sequentia primis,  
 Nam cur detulerit claves dum transfuga quærit  
 Ad secum reputat, dum plurima corde volutat,  
 Casus flendo graves labuntur in æquora claves.  
 Tum vero tristis verbis se devovet istis:

Non flectam cureum, visam mea nec loca rursum,  
 Donec aquis mersæ claves sint inde reversæ,  
 Portas Andegavis clausit mihi perdita clavis,  
 Cum clavis rediet, tunc nostra reversio fiet.

C Jam maris emenso cursu portuque prehensio  
 Qualiter abdatur præsul profugus meditatur  
 Cultu mutato, sed et ordine dissimulato  
 Uni magnatum se collocat ad famulatum  
 Obsequio vili mensæ placituros herili,  
 Fit custos olerum fugiens fastigia rerum,  
 Gaudens curat olus quo possit degere solus,  
 1553 Stans procul a turbis et cognitionibus urbis  
 Vir sanctæ sortis merito versatur in hortis,  
 Hæreat ut menti quod sit locus hic monumenti,  
 De quo surrexit qui se super æthera vexit.  
 Dum latet ergo foris longinquis exsul in oris  
 Planctibus immensis populus gemit Andegavensis,  
 Ceu data præda lupis, vel ceu sine remige puppis.  
 Sed desolatis impendit opem pietatis

D Summus Pastorum rabiem cohibendo luporum.  
 Interea multis ostensa sopore sepultis,  
 Excidium pago nocturna minatur imago,  
 Ni redeat sanctus referens solatia planctus,  
 Quem jubet exquiri donec valent reperiri.  
 Paret mandatis conventus nobilitatis;  
 Quatuor electi censentur et urbe profecti,  
 Quærant patronum, loca circueant regionum,  
 Nec finem cœpto ponant nisi patre recepto;  
 Assensu plebis sumptus numerantur ephebis;  
 Terras pervolitant, nec dura, nec aspera vitant  
 Urbes scrutantur, per agros villasque vagantur,  
 Nec tamen apparet quæsitus ubi latitaret;



Europa tota prope quæsierunt sua vota.  
 Jamque viæ senos cassus labor egerat annos  
 Septimus Oceanum jubet annus adire Britannum,  
 Quo mare transirent si forte virum reperirent :  
 Sed quid necto moram ? Veniunt ad littoris oram,  
 Inveniunt scriptum quod diximus ante relictum,  
 Gaudent spe certa quasi jam sit drachma reperta ;  
 Puppem conscendunt, et ad Anglos per mare ten-

[dunt,

Cum subito saltum dat ab æquore piscis in altum,  
 Et cadit in navim portans in viscere clavim,  
 Omne [/. Unde] gavisus piscis de ventre recisi  
 Claves eliciunt quo tristes denuo fiunt,  
 Dum periisse putant pro quo toties loca mutant ;  
 Nam claves norant, et ob hoc quasi pro neceplorant,  
 Visio sed mentes confirmat vana timentes,  
 Hortans ne dubitent, neu cepta sequi sua vitent  
 Ad perquirendum dubio procul iuveniendum.  
 Hinc alacres facti cito trans mare fluctibus acti  
 Proveniunt recta magnatis ad inclyta tecta,  
 Maurilius gratum cui præbebat famulatum  
 Post epulas olerum dans xenia quaque dierum.  
 Hunc ubi legati venientem sunt speculati  
 Prosiliunt stratis, oculis manibusque levatis,  
 Amplexique pedes complent his vocibus ædes :  
 Optime pastorum, tandem miserere tuorum ;  
 Cur pœnas luimus ? Cur gens neglecta perimus ?  
 Ob quod vis crimen populum non visere limen ?  
 Urbs tua mœsta gemit quia te sibi casus ademit,  
 Cum sis mansuetus tantos ne despice fletus,  
 Jam, sacer antistes, capiant solatia tristes,  
 Redde tuis risum, te discedente, recisum,  
 Ad tua, sancte, redi, vacuæ te reddito sedi.  
 Angelico ductu, famulante maris quoque fluctu  
 Imperium Christi terræ nos appulit isti,  
 Neu dubitare velis, verbi cape signa fidelis :  
 Claves amissas huc aspice, reddimus ipsas.  
 Hæc ubi dixerunt, clavesque palam posuerunt,  
 Et recitaverunt quæ dicta vel acta fuerunt,  
 Tot signis victus consensus vir benedictus.  
 Flent qui præsentem aderant inopina tuentes,  
 Pauperiemque viri mirantur ad ista requiri.  
 Fama ciet gentes loca circumfusa tenentes,  
 Laudes inventi recitans sermone frequenti,  
 Quod magnus præsul latuisset parvus et exsul.  
 Currit cum donis plebs totius regionis,  
 Rex etiam terræ festinat munera ferre.  
 Hactenus ignotum cunctis est visere votum ;  
 Sic donis dives comitatur ad æquora cives,  
 Transmissoque mari procul occursum populari  
 Digne suscipitur, postliminioque potitur.

1554 Quantus concursus, quæ succlamatio rursus,  
 Quas dederint grates nullus valet edere vates ;  
 Sed non antepedem prius ad propriam tulit ædem  
 Quam tumulum peteret pueri qui membra teneret :  
 De Domino flens sibi qui per somnia visus  
 Dixerat : Indultum tibi sit revocare sepultum,  
 Pro quo sic justas septem post mortis aristas.  
 Aggere dejecto rostris tumuloque relecto

A Orat prostratus multumque precando moratus  
 Tandem surrexit puer et tumulo simul exit,  
 Post mausoleum referens de morte trophæum,  
 Cui conchris nomen jubet esse Renato,  
 Ne facto metas possit dare labilis ætas ;  
 Vita functorum sic millia mille virorum,  
 Et post millenos reparari credimus annos.  
 Quos dedit hinc fructus, Domino mandante, re-

[ductus,

Quæ mala compressit, vel quæ miracula gessit  
 Non valet os fari, quia nec possunt numerari,  
 Quorum pauca noto dubio comperta remoto.

Rusticus ausus erat, quem pestis avara replebat,  
 Tempore solemnem concidere ligna bipenni,  
 Astrictasque manus cupiens laxare profanus  
 Supplicio digno retinetur vindice ligno,  
 B Quam vim tormenti menses post quinque gementi,  
 Sanctus ut agnovit, tactu medicante removit,  
 Nervis contractis ad munia prima redactis.

Belgicus ausus idem sub tempore sensit eodem,  
 Pascha Dei festum quam sit temerare molestum.  
 Namque die sacro contra fas deditus agro  
 Compulit ad segetes purgandas ire clientes ;  
 Protinus ira Dei violantem jura dissi  
 Lumibus cæcat, quia cæco pectore peccat,  
 Mensibus his pœnis cruciatus ter duodenis,  
 Compulsus tandem medicinam poscit eandem.  
 Vestem pontificis ferri sibi mandat amicis,  
 Qua cito contacta, sunt lumina lucida facta.

Hoc quoque laude pari signis valet annumerari  
 C Quod per pontificis meritum concordia pacis  
 Andegavos vinxit toto quo tempore vixit.

Ejus et in vita sunt commoda sic stabilita,  
 Ut modio Cereris pretium non cresceret æris,  
 Ac mensura meri sic semper posset haberi,  
 Fertilitas anni coalescens pace perenni,  
 Uberibus glebis impleverat horrea plebis.  
 Sensit præterea retinens ex hoste trophæa  
 Pagus Commonicus Domini quid possit amicus  
 Celsa rupe situs prisca contagio ritus.

Martis lucus erat quem plebs celebrare suerat,  
 Cædibus insanis post vina iurendo quot annis  
 Vertens in fatum rixæ cædisque reatum.  
 Sanctus ut hoc scivit lucum festinus adivit,  
 Et prece jejuna dum nocte Dominum rogat una  
 Cantu gallorum fugat agmina dæmoniorum.

D Nares præsentum contristat odor fugientum.  
 Mane jubet cædi nemus, et non ante recedi  
 Suppositus lignis quam robora devoret ignis,  
 Ecclesieque Dei vice mox surgente trophæi,  
 Flammas lustratus locus est Petra casta vocatus.

Ad Domini laudem sub tempore gessit eodem  
 Urbe Cinomanna rediens miracula magna.  
 Pons est non longe, vocat hunc vicinia Leuge :  
 Hic oblatus ei puer est miseræ speciei,  
 Membris contractus morbi que rigore coactus  
 In speciem spheræ sinuatum corpus habere,  
 Quem Deus evolvit postquam sacer ora resolvit,  
 Vinculaque tormenti prece sunt laxata potenti.



Ad portum Liddæ sancto veniente subinde  
 Navita non aderat, fluvius vada summa replet,  
 Tertia causa moræ, naves procul ulteriore  
 Ripa detentæ, quæ se movere repente  
 Obsequio prompto sine remis et sine conto,  
 1555 Exceptumque virum (quod sit magis id quo-  
 [que mirum),

Cum sociis per se transportavere reversæ.  
 Ipse tamen gratis jubet intuitu pietatis  
 Nautæ post paulum præparanti reddere nulum,  
 Gerziaco visa dum versaretur in illa,  
 Utpote quam fratrum fuerat mercatus in usum,  
 In speciem furvi mutatum dæmona corvi  
 A bove cornupeta pepulit virtute sucta,  
 Per crucis obtentum cogens exire eruentum.  
 Bucula sana redit, nec quemquam postea lædit.

Per fluvium vectus dum navigat urbe profectus,  
 Dum jacet in navi, dormitque sopore anavi  
 Excubiis laesus simul et jejunia passus,  
 Ex improvise conflictibus amne reliso  
 Bella ciet paci motu Meduana minaci.  
 Consurgunt fluctus, oritur fragor, atque tumultus,  
 Magnus ventorum parvor insicit ora virorum,  
 Et quamvis fortis quatitur formidine mortis  
 Evigilans sanctus: nam conturbatio, planctus,  
 Et vis clamoris rupit secreta soporis,  
 Flumine signato, sumptoque liquore sacro  
 Undas respersit, tempestatemque repressit;  
 Fusus ab ampulla liquor est, et victa procella.

Jam catechizatus, sed nondum fonte renatus  
 Quidam mœrentum proles miseranda parentum,  
 Proh dolor! extinctus foris est, damnatus et intus;  
 Cesserat hæc feretro, pars cesserat illa barathro,  
 Cum præsul tristis compertus casibus istis,  
 Currit festinus subitam dissolvere funus:  
 Applicitus lecto jubet omnes cedere tecto,  
 Et genibus fixi Erebi de faucibus ipsi  
 Certat sublatum lacrymando reducere flatum,

A Nec tardante mora, nam vix dum fluxerat hora,  
 Tam feretrum corpus, quam flatum reddidit ortus  
 Ergo post luctum juvenem de morte reductum  
 1556 Lætificat totum sacro baptismate lotum.

Paulo post itidem geminos sanctissimus idem  
 Lepra sædates verbo jubet ire piatos.

Adjacet antiquus Ligeri Saponaria vicus.

A quo digressus repetit dum mœnia fessus  
 Post visas omnes per circuitum regiones,  
 Utilitas quarum fuerat sibi causa viarum,  
 Ecce suæ sortis memores fient ultima mortis  
 Tristes vicini casumque gemunt peregrini.  
 Quem vitæ sanctæ famosum moribus ante  
 Laus confessoris patris excoiverat oris,  
 Quo melior fieret, dum præsulis acta videret,  
 Parca sed invidit, quæ vitæ fila recidit.

B Sanctus adest præsul, dum fletur mortuus exsul,  
 Solvit stans juxta defuncto debita justa,  
 Et prece solemnî Domino dat vota perenni,  
 Cum subito nota fatorum lege remota  
 Attollit vultus populo spectante sepultus,  
 Jamque videt sospes propter quem venerat hospes  
 Conclamant turbæ, quod non sit major in orbe  
 Pastor, teste Deo, censendus par Eliseo.

Talibus et tantis, nutu præeunte tonantis,  
 Signis insignis, psalmo vir dignus et hymnis,  
 Et vitæ mundæ cumulo ditatus abunde,

Cum novies denum jam pervenisset ad annum,  
 Tempore completo cui cedunt debita letho,  
 Terræ mandavit quod terra parens generavit.

Flatus vitalis substantia spiritualis

C Idus Septembris mortalibus exuta membris  
 Mortem nescivit, sed semper in æthera vivit.  
 Gratia virtutum comitatur carne solutum,  
 Nam cæci nati tacto feretro reparati  
 Ad sacrum funus deo sunt, paralyticus unus.  
 Sed neque frustratur supplex quicumque precatur  
 Ipsius ad thecam rem si modo postulat æquam.

# MARBODI REDONENSIS EPISCOPI

## CARMINA VARIA.

### I. Hymnus primus de Magdalena.

Maria mater Domini, Maria soror Lazari  
 Duæ patronæ cœlitus collatæ sunt fidelibus.  
 Impar ancilla dominæ, sed pari frgens nomine.  
 Hæc forma pœnitentiæ, at illa mater veniæ.  
 Est illa virgo virginum, sanctorum princeps om-  
 [nium;  
 Hæc peccatorum conscia, et criminosis commoda.  
 Maria pedes genuit, quos illa plorans tenuit.  
 Quia dilexit nimium purgatur labe criminum,

D Hærens humi miserrima complectitur vestigia,  
 Undas quas fudit oculis plis desiccat osculis;  
 Accessit ejus merito mirabilis dignatio:  
 Unguento nardi pistici perfudit caput Domini,  
 Æqualis mundi terminis laus hujus vivet operis,  
 Concurrens Evangelio, ipso testante Domino.  
 Huic se resurgens Dominus manifestavit primitus,  
 Infamem quondam feminam constituens aposto-  
 [lam.  
 Sit Patri laus ingenito, et ejus Unigenito,